

# INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

## *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (37)*

### 4.12.2.4. De dissensionibus cum protestantibus (1)

Difficultates, quas nunc explicare conamur, artē quidem atque specialiter cohaerent cum rebus scholaribus, id est cum scholis conditis condendisque, sed condicionibus eventibusque, qui inde exorti sunt, problema magis generale monstrabatur. Agitur enim de dissensionibus atque querelis, quae tempore Germanicae Africae Orientalis in ipsā coloniā inter Benedictinos et protestantes nascebantur atque decursū temporis vehementiā satis magnā exhibebantur. Tamen problemata spectabant imprimis ad coexistentiam cum «Berolinensi Societate Missionaria»<sup>1</sup> et itaque magis ad coloniae partem quandam regionis occidentalis.<sup>2</sup>

Protestantica «Berolinensis Societas Missionaria» anno 1824<sup>o</sup> condita erat scopo, quo «missiones euangelicae apud paganos foverentur».<sup>3</sup> Primi mis-

---

1 Berliner Missionsgesellschaft (Berlin I).

2 Paulo fusius in hanc quaestionem incumbunt Soltan SCHÄPPI: Die katholische Missionsschule im ehemaligen Deutsch-Ostafrika. Paderborn 1937, pp. 194 sqq; Soltan SCHÄPPI: Die katholischen Missionsschulen des Tanganyika-Gebietes. Obergünningen 1935, pp. 85 sqq.; Siegfried HERTLEIN: Wege christlicher Verkündigung. 1. Münster-schwarzach 1983, pp. 162 sqq.; Hans-Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Missionen in Deutsch-Ostafrika 1890-1914. Berlin 1971, pp. 336 sqq. - Brevius hoc thema tractant sive idem tantummodo commemorant Thorsten ALTENA: «Ein Häuflein Christen mitten in der Heidenwelt des dunklen Erdeits». Zum Selbst- und Fremdverständnis protestantischer Missionare im kolonialen Afrika 1884-1918. Münster 2003, pp. 64 sq.; Harald SIPPEL: Mission und Gewalt in Deutsch-Ostafrika. Das Verhältnis zwischen Mission und Kolonialverwaltung. In: Ulrich VAN DER HEYDEN / Jürgen BECHER (edd.): Mission und Gewalt. Der Umgang der christlichen Missionen mit Gewalt und die Ausbreitung des Christentums in Afrika und Asien in der Zeit von 1792 bis 1918/19. Stuttgart (2000), pp. 533 sq.; Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher Imperialismus. Paderborn 1982, p. 99; Juhani KOPONEN: Development for exploitation. German colonial policies in Mainland Tanzania 1884-1914. Helsinki / Hamburg 1995, p. 580; Gert v. PACZENSKY: Teurer Segen. Christliche Mission und Kolonialismus. München 1991, pp. 381 sq.

3 De «Berolinensi Societate Missionaria» cfr ex. gr. Karl AXENFELD: Die Berliner Mission in Deutsch-Ostafrika. In: Allgemeine Missionszeitschrift 36, 1909, pp. 129 sqq.; Carl MIRBT: Mission und Kolonialpolitik in den deutschen Schutzgebieten. Tübingen 1910, pp. 31 sq.; Hellmut LEHMANN: 150 Jahre Berliner Mission. Erlangen 1974, pp. 90 sqq.; Ulrich VAN DER HEYDEN: Zu den politischen Hintergründen der Njassa-Expedition von Alexander Merensky. In: Winfried BROSE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.): Mit Kreuz

sionarii, qui ipsi apud paganos operarentur, anno 1834<sup>o</sup> in Africam Meridionalem mittebantur. Cum autem in Germaniā colonialismus vigere inciperet, in ipso populo impetus quōque missionarius multo maior quam antea dissipabatur. Tunc etiam terminus, qui est «missio colonialis», exortus est et erant quidam repreäsentantes missionis protestanticae, qui putabant colonias praebere novas possibilitates ad labores missionarios exanclandos. «Berolinensis Societas Missionaria» in initio aliquatenus cunctata est deliberans, num in coloniis Germanicis operari vellet, sed ab provinciis orientalibus Borussiae et etiam ab huius rei fautoribus ad ipsam Societatem pertinentibus velut Alexandro Merensky<sup>4</sup> instigata Societatis commissio constituit die 4<sup>o</sup> m. Nov. a. 1890<sup>o</sup>, ut opera in Germanicā Africā Orientali susciperentur.<sup>5</sup>

---

und deutscher Flagge. Münster / Hamburg 1993, pp. 89 sqq.; Julius RICHTER: Geschichte der Berliner Missionsgesellschaft 1834-1924. Berlin 1924, pp. 9 sqq.; Johanna EGGERT: Missionsschule und sozialer Wandel in Ostafrika. Bielefeld 1970, pp. 93 sqq.; Cuthbert K. OMARI: A Reflective Synopsis of the Berlin Missionaries: Past Experience. In: Ulrich VAN DER HEYDEN / Jürgen BECHER (edd.) (2000), pp. 427 sqq.; Horst GRÜNDER (1982), p. 40

- 4 Alexander Merensky (1837-1918) erat sodalis «Berolinensis Societatis Missionariae», qui inde ab anno 1860<sup>o</sup> in Africā Meridionali ut missionarius operabatur. Inde in Germaniam reversus. a. 1883<sup>o</sup> redditus est inspector missionarius Societatis Berolinensis. Idem etiam erat sodalis «Societatis colonizationis Germanicae», quae ab Carolo Peters unā cum aliis condita erat. - Cfr ex. gr. Ulrich VAN DER HEYDEN: Politische Hintergründe. In: Winfried BROSE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1993), pp. 160 sqq.; Thortsen ALTENA (2000), pp. 89 sq.
- 5 Hoc consilium captum esse periti dicunt dissensionibus cum «Euangelica Societate Missionaria ad Germanicam Africam Orientalem spectante» («*Evangelische Missionsgesellschaft für Deutsch-Ostafrika*» [Berlin III]). - Scitū autem vere dignae sunt causae, quas ad hoc consilium capiendum etiam viguisse enumerat Ulrich VAN DER HEYDEN: Politische Hintergründe. In: Winfried BROSE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1993), pp. 91 sqq. Scribit enim idem decem argumenta praeterea respecta esse, quae erant haec: 1. sodales commissionis Berolinensis potestate Germanicā in Africā Orientali institutā speraverunt fore, ut ibidem operandi condiciones meliores maioremque effectum adducentes valerent; 2. ibidem putabant fore possibilitates cooperandi cum aliis protestanticis societatibus; insuper iisdem solis campum relinquere noluerunt; 3. existimaverunt multis missionariis societatibus Germanicis in illo «territorio tutelari» praesentibus prohiberi, ut plures consociationes Anglicae se insererent; 4. scopus quōque erat in eo, ut momentum pondusque catholicum in illā regione iam extans reprimeretur; 5. praeterea, ut Arabica negotiatio servorum magis cohiberetur atque Africani a religione Islamicā servarentur; 6. utile eis videbatur factum, quod in Africa Meridionali stationes iam exstabant et hunc in modum eaedem fundamentum stabile ad extentionem in septentrionem praebabant; 7. insuper Societas Berolinensis ab consociationibus auxiliaribus, quibus magnus enthusiasmus colonialis erat, impulsa est; 8. quaedam causa huius

Regio autem, ad quam «Berolinensis Societas Missionaria» tendebat, primo erat territorium Konde appellatum,<sup>6</sup> quod in litoribus septentrionali-orientalibus lacūs Nyassae situm erat. Mandatum, quo primam expeditionem illūc duceret, traditum est Alexandro Merensky, qui unā cum nonnullis comitibus mense Octobri a. 1891<sup>o</sup> ex interiore parte terrae adveniens ad lacum Nyassae pervenit atque ibidem primam stationem fundavit, cui nomen «Wangemannshöhe» dedit. Scitū autem dignum est «Berolinensem Societatem Missionariam» cum «Consociatione Herrnhutiensi», quae in eadem Konde regione opera missionaria suscipere in animo habuit, iam die 10<sup>o</sup> m. Ian. 1891<sup>o</sup>, id est ante profectionem expeditionis Berolinensis, contractum iniit, quo terminos operandi constituerant et quo pars orientalis Berolinensibus atque pars occidentalis Herrnhutiensibus attributum est.<sup>7</sup>

Decursū annorum insequentium missio Berolinensis ita extenta est, ut anno 1902<sup>o</sup> illi missionarii protestantici regionem, quam sibi ad operandum exquisiverant, in duas synodos sic dictas partiebantur, nempe in synodus Konde-Kinga et in synodus Hehe-Bena. Sed difficultates quaedam cum missione catholicā - nondum quidem nimis vehementi modo - iam antea incohatae sunt. Nam in eādem regione etiam missionarii Benedictini operabantur et, cum utraque missio paulatim extenderetur, magis magisque inter se approxinquarent vel etiam interdum - secundum propriam perceptionem - iam nimiā vicinitate versati sunt. Extentio autem Benedictinorum artē cohaerebat cum eorum methodo missionariā, quā Africanorum eruditio scholaris eis erat magni momentum et itaque iidem plurimas scholas, imprimis exterias sic

---

incepti etiam erat in eo, quod Alexander Merensky rei vehementer favebat; 9. putaverunt quōque regionem Africae Orientalis, quam petiverunt, climatis condiciones oportunas habere atque indigenas ibidem habitantes esse pacificos; 10. denique videbatur condicio opportuna esse Africam conventu Congoico sic dicto anno 1885<sup>o</sup> inter omnes res publicas Europaeas distributam esse, quā de causā mala tractatio ab alienis potestatibus colonialibus non esset exspectanda.

6 Incolae quōque huius regionis ab extraneis Konde appellabantur, quamquam ibidem plures tribūs habitabant, ex quibus maxima erat Nyakyusa.

7 Cfr ex. gr. Ulrich VAN DER HEYDEN: Politische Hintergründe. In: Winfried BROSE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1993), p. 93; Hellmut LEHMANN (1974), p. 94; Johanna EGGERT (1970), p. 94; Thorsten ALTENA (2003), p. 59. - Illi autem fines erant constituti secundum aspectūs mere geographicos neque respexerunt territoria, quae indigenae inhabitaverant.

dictas, condere intendebant.<sup>8</sup>

Dissensiones autem inter missionem Berolinensem et Benedictinos iam satis mature incohatas esse videntur. Nam iam tempore Praefecti Apostolici P.ris Mauri Hartmann et deinde tempore episcopi Cassiani Spiss gubernio mediante<sup>9</sup> deliberationes de limitibus regionum operandi instituebantur.<sup>10</sup> Sed nihil definitivum effici potuit, quia deinde anno 1905<sup>o</sup> etiam seditio «maji maji» appellata intercessit atque omnino alia problemata exstabant. Praeterea interim et episcopus Cassianus Spiss et P. Maurus Hartmann mortui erant.<sup>11</sup> Nihilominus mense Novembri a. 1905<sup>i</sup> hoc thema iam denuo exortum est.<sup>12</sup>

---

8 Cfr supra cap. 4.12.2.3. - Methodus Berolinensium in initio erat alia et iidem demum paulatim ad stationes scholasque exteras magis condendas se converterunt. Anno 1909<sup>o</sup> Carolus [Karl] Axenfeld, inspector missionarius «Berolinensis Societatis», adhuc scripserat Berolinenses «paroechiam non scholam ut fundamentum operis sui percipere» (Karl AXENFELD: Berliner Mission. In: Allgemeine Missionszeitschrift 36, 1909, p. 135 (verba originaliter Theodisca). Sed idem in relatione suā visitationis anno 1912<sup>o</sup> factae ratione mutatā scripsit «in campo scholari pro tempore proximo futuro maxima officia fore sita, cum hic tempore praeterito haud dubie maximae omissiones nostrae inveniantur». - Verba allata secundum Iulium RICHTER (1924), p. 680. (Verba originaliter Theodisca).

- Fortasse haec mutatio mentis cohaerebat cum aemulatione, quam «Berolinenses» cum Benedictinis exercebant. - De momento secundario, quod schola in «Berolinensi Societate» in initio habuerat atque de perceptione paulatim mutata cfr Johanna EGGERT (1970), pp. 104 sqq.

9 Gubernii intererat quies inter varias missiones, sed propter leges nationales atque internationales directe se immiscere non potuit. Nam secundum internationalia acta Congoica (1885), art. 6 dicebatur libertatem conscientiae atque permissionem religiosam et indigenis et alienigenis praeberti. Et praeter alia legebatur missiones in operibus instituendis nulli cohibitioni neque impedimento subiectas esse. In nationali Germanicā lege ad regiones tutelares spectante (1900), paragrapgo 14 idem dicebatur. Itaque gubernium, cui ipsi limites inter missiones instituere non licuit, ut mediator se praebuit exspectans missiones ipsas mormas atque limites inter se constituere. Gubernator Gustavus Adolfus von Götzen videbatur terminos praeferre, quibus singulae tribūs gentesque variis missionibus attribuerentur. Eius successores de hac re tamen aliter sentiebant.

10 Talia etiam commemorant Christianus Schumann epistulā die 15 m. Mart. a. 1906 ad Ambrosium Mayer directā (ASO, Z.1.07) et Ambrosius Mayer epistulā die 13 m. Apr. a. 1906 ad Antonium Ruedel missā (ASO, Z.1.07).

11 Episcopus Cassianus Spiss inter ipsam seditionem interfectus est, P. Maurus Hartmann paulo post in statione Madibira morbo correptus vitā functus est.

12 Cfr epistula Christiani Schumann die 8 m. Nov. a. 1905 ad Ambrosium Mayer directa (ASO, Z.1.07), ubi idem limitem iuxta fluvium Ruaha minorem proposuit.

Nam protestanticus superintendens Christianus Schumann<sup>13</sup> cum P.re Ambrosio Mayer, qui illo tempore Superior stationis Madibira erat, commercium epistulare atque consultationes de hac re habuit.

Primo de distinctione locali unanimitas non exstitit, cum P. Ambrosius Mayer proposuisset modum, quo talia loca esse occupata existimanda essent, in quibus schola erecta esset atque magister adesset, sed Christianus Schumann certos firmosque limites solum rectum modum progrediendi esse putaret.<sup>14</sup> Sed consultationes nihilominus ad effectum quandam adductae sunt. Nam iam die 3º m. Aug. a. 1906º inter «Berolinenses» atque Benedictinos conventio sive contractus constituebatur, quo in regionis parte occidentali terminus inter territoria operandi describebatur. Qui terminus geographicus varios fluvios sequebatur, inter quos imprimis Ruaha minor, Gaviro et Ruaha maior nominandi sunt. Hunc in modum omnia, quae in dextera ripa illorum fluviorum sita sunt, ad missionem catholicam, omnia in sinistra ripā ad missionem protestanticam pertinebant. Praeterea expressis verbis agitur de statione Gaviro, quae deinde erat possessio catholica, et de stationibus Ideruda atque Mfumbi, quae deinde a protestantibus possidebantur.<sup>15</sup> Secundum

---

13 Christianus Villelmus Carolus [*Christian Wilhelm Carl*] Schumann (1867-1943) anno 1887º «Berolinensi Societati Missionariae» se adiunxerat atque anno 1891º erat unus ex comitibus, qui cum Alexandro Merensky in Africam Orientalem pervenit. Christianus Schumann ab a. 1899º usque ad a. 1901<sup>um</sup> erat superintendens vicarius Africanae missionis orientalis Societatis Berolinensis. Mense Decembri a. 1901<sup>i</sup> idem superintendens synodi Hehe-Bena recenter conditae electus est. - *Cfr* ex. gr. Thorsten ALTEA (2003), pp. 171 sq.

14 *Cfr* epistula Christiani Schumann die 15 m. Mart. a. 1906 ad Ambrosium Mayer directa (ASO, Z.1.07). Ibidem Schumann etiam scripsit propositum P.ris Ambrosii Mayer non tam bonum esse, cum semper loca exstarent, in quibus scholae erigi liceri putatur, quia alia missio ibi in propinquuo nondum esset. Sed ex hac sententiā quaestio exoritur, quid malum sit, si longe lateque alii nondum operantur. Tamen haec opinio intellegitur, cum desiderium regionis sibi reservandae exstat, etiamsi eadem non statim stationibus scholisque occupari potest.

15 Leguntur vero in contractu anni 1906<sup>i</sup> speciatim haec (ASO, Z.1.07):  
«Übereinkunft über die Grenzen zwischen den Protestantischen und Katholischen Missionen, das Hehe-Bena- und Sango-land betreffend

1. Die Grenze der Arbeitsgebiete bildet der in Matanana entspringende Silunga, in Karte fett Gaviro Mugaga genannt bis zur Vereinigung mit dem sogenannten Kleinen Ruaha, der an Mulangali, Gaviro, Marindi, Ihanga, Sumula, Kivere vorbeifliest, weiter dieser Kl. Ruaha nach seiner Vereinigung mit Balali, weiter der Balali bis zur Vereinigung mit dem Grossen Ruaha (auch Bangali, Ninavana genannt), weiter dieser grosse Ruaha.

2. Alle Landschaften Dörfer, Hütten am rechten Ufer dieser oben genannten Flüsse sind



*Linea limitum contractū anni 1906<sup>i</sup>, qui etiam contractus Gaviro appellatur.*

*(Linea secundum fontes a me inserta.)*

*[Deutscher Kolonialatlas 18, 1914, tab. 7, pars desecta.]*

illum fluvium quoque nominatum haec conventio etiam «contractus Gaviro» appellabatur. Contractum autem per decem annos validum fore constitueba-

Arbeitsgebiete der katholischen, alle Landschaften, Dörfer, Hütten am linken Ufer dieser Flüsse sind Arbeitsgebiete der protestantischen Mission (vergl. beiliegende Karte).

3. Die protestantische Mission tritt demnach Gavilo an die katholische, und die katholische Ideruda und Mfumbi an die protestantische Mission mit allen Gebäuden ab. Ausserdem erklärt der Vertreter der Benediktiner Mission, dass die Benediktiner Mission an Rwiva keinen Anspruch mehr erhebt.

Die Übereinkunft gilt vom heutigen Tage an und hat zunächst zehnjährige Gültigkeit.»

- Subscriptus est contractus ex parte Benedictinorum a P.re Ambrosio Mayer, protestantes repreäsentaverunt Christianus Schumann, Ernestus Källner, Villemus [Wilhelm] Neuberg, Paulus Husé. - Vicarius Apostolicus illo tempore novus die 16<sup>o</sup> m. Iul. a. 1906<sup>o</sup> demum iterum in Africam Orientalem advénit, quā de causā verisimiliter disceptationes hac in re P.ri Ambrosio Mayer reliquit, cum ageretur de statione Madibira eiusque circumiecta.

tur.<sup>16</sup>

Cum autem tabulam geographicam limitem anni 1906<sup>i</sup> monstrantem aspiciamus, videmus Benedictinos non optimum effectum hac conventione sibi acquisivisse. Nam extensio missionis catholicae circumcirca stationem Madi-bira in occidentem atque in orientem satis seclusa erat.

Hac conventione initā tamen quies non nimis diu valebat. Difficultas enim fundamentalis - ut videtur - in eo erat, quod desiderium, quo territorium operandi extendere voluerunt, apud missionarios utriusque confessionis erat idem et ibi, ubi confessio quaedam progressum territoriale habuit, possibili-tates alterius coercebantur. Cum insuper utraque missio in locis operandi eligendis similes deliberationes haberent - quod non est mirum -, difficultates atque aemulationes fore aliquatenus praevideri potuit.<sup>17</sup>

Talia itaque iam paulo post acciderunt. Nam missionarii protestantes in parte orientali territorii stationem Isofi considerant, quae fundatio ab eorum statio-ne principali Lupembe decreta atque instigata erat. Locus autem Isofi in planicie Ulanga situs, ad quem Berolinenses magistrum quendam Africanum miserant, secundum perceptionem Benedictinorum nimis in propinquuo catho-licae stationis Kwiros positus erat. Haec erat causa, cur episcopus Thomas Spreiter mense Septembri a. 1908<sup>i</sup> epistulam ad gubernium Africae Orientalis mitteret, quā de illā fundatione conquerebatur.<sup>18</sup> Aegre enim tulit hunc pro-testanticum locum secundarium ut stationem nimis promotam contra missio-nem catholicam esse directum et ut impetum haberi posse, cum in territorio

---

16 Scitū digna est P.ris Ambrosii Mayer sententia magis generalis de huiusmodi contractū, quam in epistulā die 13 m. Apr. a. 1906 ad Antonium Ruedel directa (ASO, Z.1.07) provicario patefecit. Scripsit enim ibidem talem conventionem tantummodo ad tempus neque in perpetuum ineundam esse. Causam opinionis suae dixit esse in eo, quod ecclesia catholica territorium quoddam renuntiare non posset, cum obligata esset decursū temporis ubique praedicare, ne ullus populus a possibilitate audiendi exclusus esset. Num vero haec possilitas fieret, esse quaestionem progressū atque condicionum. - Ut videbimus, huiusmodi opinio postea ab utrāque parte prolata est.

17 Similiter condicionem etiam vident ex. gr. Carl MIRBT (190), pp. 76 sq.; Hans-Joachim NIESEL (1971), p. 336; Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 162. - Hoc in conexū scitū digna est sententia Caroli Axenfeld, quā scripsit extentionem celerem missionis Berolinensis partim non exortam esse secundum legem crescentiae fortuitae, sed éadem urgebatur curā, quā campus necessarius progressū futuri servaretur. (Cfr Karl AXENFELD: Berliner Mission. In: Allgemeine Missionszeitschrift 36, 1909, p. 133.)

18 Cfr epistula Thome Spreiter die 25 m. Sept. a. 1908 ad gubernium coloniale directum (ASO, Z.1.07).

tam magno confessiones distantias satis magnas servari possent.<sup>19</sup> Gubernium vero Christianum Schumann hac in re responsabilem monuit, ut sub aspectū pacis confessionalis de modo procedendi denuo deliberaret, cum missio catholica eundem esse actionem adversariam existimaret et cum fundatione protestanticā limites naturaliter dati atque politice agniti transcederentur, quia planities Ulanga ad stationem Kwiwo pertinere putanda esset.<sup>20</sup> Hōc rescriptum gubernii quoad argumenta postea prolata non erat nullius momenti.

Tamen hac querelā episcopi processus quidam initium cepit. Nam - id quod Thomas Spreiter in animo non habuerat - illa res a gubernio Africæ Orientalis ad imperiale officium coloniale perlatum est et sic facta est magis officialis. Illius temporis secretarius statalis Bernhardus Dernburg dissensione inter missiones valde excitatus atque iratus fuisse videtur, cum ad quietem instituendam iam minaretur se paragraphum quartum decimum legis ad regiones tutelares spectantis abolendum curaturum esse et regionem inter missiones divisurum esse, nisi protestantes atque catholici intra semiannum solutionem invenissent.<sup>21</sup> De totā re secretarius statalis iam die 16<sup>o</sup> m. Dec. a. 1908<sup>o</sup> scriptum composuit proposuitque.<sup>22</sup> Itaque episcopus Thomas Spreiter et alii repraesentantes missionis catholicae, qui quoque hac quaestione territorii operandi generaliter tangebantur, die 30<sup>o</sup> m. Dec. a. 1908<sup>o</sup> apud Praelatum Franciscum Carolum Hespers convēnērunt, ut de imminentे divisione politi-

---

19 Satis distincte episcopus etiam subiunxit rixam oriri posse, si catholici similes stationes nimis promotas condere coacti essent, sed missionem catholicam talem modum procedendi neque instigavisse neque quaesivisse.

20 *Cfr* epistula gubernii die 4 m. Dec. a. 1908 ad Christianum Schumann directa (ASO, Z.1.07).

21 Thomas Spreiter mense Decembri a. 1908<sup>i</sup> in Germaniā versabatur et colloquium cum Bernardo Dernburg instituere conatus est. De his minis aliisque rebus Patribus suis missionariis rettulit epistulā circulari die 12 m. Dec. a. 1908 datā (ASO, Z.1.07). Similiter Praelatus vicariusque capitularis Coloniensis Franciscus Carolus [*Franz Karl*] Hespers, qui iam illo tempore quadamtenus munere mediatoris talibus in dissensionibus functus est, in suo memorando sic dicto, quod propter scriptum imperialis officii colonialis die 16 m. Dec. a. 1908 datum composuerat (ASO, Z.1.07), has minas commemoravit.

22 Quamquam repraesentantes missionum has minas Bernhardi Dernburg aliquatenus timuisse videntur, idem tam facile illum paragraphum quartum decimum legis ad regiones tutelares spectantis abolere non potuisset, cum hic paragraphus artē cohaeret cum art. 6 actorum Congoicorum, quae erant internationales. Itaque Germania non potuisset sine sequelis conventiones internationales rumpere. Hunc conexum statim in memoriam revocavit Franciscus Carolus Hespers in memorando suo (ASO, Z.1.07).

cā regionis inter protestantes et catholicos atque de solutione problematis disputarent.<sup>23</sup> Proponebatur autem, ut confessiones aliquo modo consultatio-nes inirent.<sup>24</sup>

Revera episcopus Thomas Spreiter in initio mensis Ianuarii a. 1909<sup>i</sup> ad commissionem «Berolinensis Societatis Missionariae» se convertens paratum se esse dixit consultationes de finibus instituere.<sup>25</sup> Similiter iudicialis consiliarius superior Berner, illius temporis praepositus commissionis Berolinensis, officio coloniali dixit rixam inter missiones non exstare, dissensionem colloquiis amoveri posse atque cooperationem regiminis hac in re non esse necessariam.<sup>26</sup> Etiam Christianus Schumann ad consensum inveniendum se esse paratum declaravit.<sup>27</sup> Sic consultationes de limite, qui in regionis dis-putatae parte orientali institueretur, incohatae sunt.<sup>28</sup>

- 
- 23 Thomas Spreiter epistula circulari die 31 m. Dec. a. 1908 ad Patres missionarios directā (ASO, Z.1.07) de hōc conventū rettulit. - In fine huius epistulae circularis episcopus Patribus suasit, ut «*tranquille et sine provocatione officium suum explentes progre-derentur*». In priore epistulā circulari die 12 m. Dec. a. 1908 datā (ASO, Z.1.07) similiter scripserat necessarium esse, ut catholici non omnia paterentur, sed duplice prudenter atque providerter agerent et ut erga protestantes essent firmi atque prudentes sine irā atque sine nimio zelo. Tamen suadendum esse, ut tam late se extenderent quam secundum vires prudentiamque valerent, cum regiones iam occupatae non tam facile omitterentur, si disiunctio revera fieret.
- 24 Deliberatio erat, quā utraque missio commissarios nominaret, qui cum politico praeposito regionis Africanae, de quā agebatur, de territorio disiungendo consensum invenirent. Quem consensum et superintendens et episcopus approbare deberent. Si consensus hunc in modum non fieret, episcopus atque superintendens cum gubernatore acturos esse.
- 25 Cfr epistula Thomae Spreiter die 4 m. Ian. a. 1909 ad commissionem Berolinensem directa (ASO, Z.1.07).
- 26 Cfr epistula iudicialis consiliarii superioris Berner die 9 m. Ian. a. 1909 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07).
- 27 Cfr epistula Christiani Schumann die 7 m. Ian. a. 1909 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07). - Erga gubernium Africae Orientalis praeterea epistulā eodem die missā scripsit se paratum esse stationem Isofi retrahere, si missio catholica reclamaret (ASO, Z.1.07).
- 28 Interea inter episcopum Thomam Spreiter et consiliarium Berner commercio epistulari disputatio fiebat, quā praeter alia agebatur de quaestione, quae missio illā in regione disputatā maiora vetustioraque iura haberet, et cuius argumenta sunt scitū digna (etiam quia éadem similiaque postea iterum iterumque repetita sunt). Ex parte protestantica dicebatur «Societatem Berolinensem» iam ante professionem in Africam Orientalem publice nuntiavisse consilium suum esse in eo, ut territorium Konde appellatum, quod in oriente tricesimi quarti gradūs latitudinis situm est, et montes circumcirca sitos et regiones Usagara, Uhehe atque Ungoni missioni suae reservarent, quā de causā haec omnia essent

His vero in consultationibus repraesentans missionis Benedictinae erat P. Eustachius Fuchs, illius temporis Prior stationis Kwiwo, et pro protestantibus agebat superintendens Christianus Schumann. Iam in epistulā suā mensis Ianuarii Christianus Schumann episcopo Thomae Spreiter duas possibilitates limitis ponendi proposuerat, ex quibus una terminos loquelaes respexit (id quod Christianus Schumann praetulisse videbatur), alterā vero limes inde ab oppido Wiedhafen in litore lacū Nyassa sito fluvium Luhudzi transgrediens usque ad locum Muhanga extenderetur.<sup>29</sup> Hōc propositum suscipiens P. Eustachius Fuchs deliberationes suas exhibuit terminos paulo aliter ponens.<sup>30</sup> Tamen P. Eustachius Fuchs et Christianus Schumann satis celeriter conventionem exaraverunt, quā limes inde ab oppido Wiedhafen usque ad locum Mgeta ducebatur et quā singulae gentes ibi habitantes inter missiones distribuebantur. Hanc conventionem die 4<sup>o</sup> m. Iul a. 1909<sup>o</sup> subscriberunt reser-

---

suum territorium operandi. Praeterea se iam multa itinera in illā regione fecisse, contactū cum quibusdam principibus Africanis habere, nonnullis in locis contiones habuisse. Quaestio tamen est, num talia sufficient ad vera iura sibi acquirenda vel ad possessionem sibi reclamandam. Alterā ex parte Thomas Spreiter argumentatus est Benedictinos iam pridem ibi stationes condidisse, eos itaque ibi iam operatos esse, antequam protestantes advēnērunt, eos ab quibusdam principibus Africanis ad scholas condendas vocatos esse, et magis generaliter protulit anno 1887<sup>o</sup> totam regionem Benedictinis a Congregatione de Propaganda Fide attributam esse ut Apostolica Praefectura sive Apostolicus Vicarius. Hoc ultimum argumentum Carolus Axenfeld non ita falso refutavit dicens sub hōc aspectu regionis ab institutione catholicā attributae protestantibus nusquam missionem exercere licere. (*Cfr* eorum commercium epistulare diebus 5.1.1909, 22.1.1909, 6.2.1909, 4.3.1909, 24.4.1909 commutatum (ASO, Z.1.07)).

- 29 *Cfr* epistula Christiani Schumann die 7 m. Ian. a. 1909 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07).
- 30 *Cfr* epistula Eustachii Fuchs die 9 m. Jun. a. 1909 ad Christianum Schumann directa (ASO, Z.1.07). - Eādem in epistulā P. Eustachius Fuchs casum principum Kiwanga et Soliambingo commemoravit, quem episcopus Thomas Spreiter iam in epistulā die 5 m. Ian. a. 1909 ad consiliarium Berner directā (ASO, Z.1.07) explicuerat et qui quadamtenus cum fundatione stationis Isofi cohaerebat. Nam illi duo principes Africani loco Isofi iam condito ad catholicam stationem Kwiwo venerant denovo magistrum inde petentes. Ad pacem servandam Benedictini huic voto non sunt obsecuti, etiamsi magister protestantium contra voluntatem principum ad ipsos erat missus. P. Eustachius Fuchs praeterea subiunxit desiderium principum se sequi non potuisse, quia esset principium nullas scholas condendi nisi ibi labores statim suscipi possent. Nam P.ri Eustachio Fuchs non videbatur iustum esse tantummodo magistrum Africanum mittendo regionem sibi vindicare, sicuti in loco Isofi factum esset.

vatione tamen, quā instituta patria praepositique eandem approbarent.<sup>31</sup> Ut videmus, iam in his consultationibus atque in contractū praevio agebatur de limite longo inde ab lacū Nyassa usque ad partem magis septentrionalem regionis disputatae, qui quidem longe extensus erat supra illud spatium, ubi difficultas propter locum Isofi exorta erat.

Tamen illa reservatio non sine causā inserta erat. Nam episcopus Thomas Spreiter rebus dispositis non contentus erat. Eadem enim unā ex parte terminus meridionalis non satis exactus erat, alterā ex parte illa distributio gentium inter missiones ei displicuit, sed certum terminum geographicum potius praetulit, quā de causā proposita paulo mutata exhibuit.<sup>32</sup> Etiam Carolus Axenfeld mutationes quasdam contractū fieri desideravit, imprimis idem quoque limites geographice definitos voluit,<sup>33</sup> de quibus exakte ponendis deinde disputatio aliquamdiu continuebatur. Denique die 6<sup>o</sup> m. Oct. a. 1909<sup>o</sup> Carolus Axenfeld epistulariter duo varia proposita exhibuit,<sup>34</sup> nempe primo propositum, quo terminus imprimis iuxta fluvium Pitu<sup>35</sup> atque deinde directā lineā in oriente loci Ismalinji institueretur.<sup>36</sup> Si vero episcopus de tali termino dubia haberet, alterum propositum constituit in eo, ut in praesenti solum limes inter protestanticas stationes Lupembe atque Muhanga et catholicam statio-

---

31 Cfr Contractus limitum inter missionem Benedictinam et «Berolinensem Scoietatem Missionariam die 4 m. Iul. a. 1909 [Grenzvertrag zwischen der Mission des O.S.B. und der Berliner Missionsgesellschaft] (ASO, Z.1.07).

32 Cfr epistula Thomae Spreiter die 14 m. Aug. a. 1909 ad Carolum Axenfeld data (ASO, z.1.07). - Subiunxit autem se, antequam assentiretur, missionarios stationum Peramaho atque Kigonsera audire velle. Illi enim hōc limite praecogitato etiam tangebantur.

33 Cfr epistula Caroli Axenfeld die 19 m. Aug. a. 1909 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07). - Hic iam agebatur de oppido Wiedhafen, cum Carolus Axenfeld rogaret, ut Benedictini ibīdem tantummodo procuram instituerent, quia protestantes illo in loco iam per unum annum stationem auxiliatoris haberent. Cui rogationi episcopus assensus est, cum «competitionem cum protestantibus exercere nolle», ut ex eius epistulā die 13 m. Nov. a. 1909 ad Carolum Axenfeld directā (ASO, Z.1.07) appareat. Similis autem quaestio postea aliquando de oppido Iringa exorta est.

34 Cfr epistula Caroli Axenfeld die 6 m. Oct. a. 1909 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07).

35 Argumentum, cur fluvius Pitu eligeretur, erat in eo, quod «Societas Berolinensis» totam regionem usque ad illum fluvium ad protestantes pertinentem existimaverat.

36 Putaverat Carolus Axenfeld ad dubia de exacto termino vitanda missionarios representantes utriusque confessionis deinde colloqui posse, ut expressis verbis constituerent, qui singuli loci vicique tunc ad protestantes et ad catholicos pertinerent. - Talem modum progrediendi fontem infinitarum disputationum dissensionumque fore manifestum est.

nem Kwiro tractaretur terminis reliquis postpositis.<sup>37</sup> Utriusque propositi contractum exaratum et ab ipso subscriptum Carolus Axenfeld epistulae subiunxit. Alicuius momenti mihi esse videtur sententia, quam idem in fine addidit et quae sub aspectū posteriorum rixarum incusationumque est scitū digna. Scripsit enim idem haec: «*Omnes conventiones ad limites spectantes inter confessiones missionesque factas tamen locali motione populationis sub quibusdam condicionibus mutationi cuidam subiectae sunt.*»<sup>38</sup>

Elegit autem episcopus Thomas Spreiter solutionem minorem, ut ita dicam.<sup>39</sup> Illo contractū, quem Carolus Axenfeld subscriptione diei 6<sup>o</sup> m. Oct. a. 1909<sup>o</sup> atque Thomas Spreiter subscriptione Kal. m. Nov. a. 1909<sup>o</sup> praebitā

---

37 Putavit Carolus Axenfeld etiam tali solutione minore regimini ad tempus satisfactum esse et affirmavit sic ab utrāque parte rixam fundamentaliter amotam esse.

38 Epistula Caroli Axenfeld die 6 m. Oct. a. 1909 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07). - Sententia originaliter Theodisca.

39 Mirum in modum in inquisitionibus, quibus agitur de dissensionibus cum protestantibus atque de conventionibus initis vel quibus eadem saltem commemorantur, sermo de illo contractū anni 1909<sup>o</sup> sive vix sive non satis exacte sive omnino non fit, quamvis idem fuerit alicuius momenti. Soltan SCHÄPPI (1935), p. 87; Soltan SCHÄPPI (1937), p. 197 solum commemorat plures contractū exstisset singula non explicans; de contractū anni 1909<sup>o</sup> mentionem facit tantummodo in conexū posteriorum rixarum eundem indicans ut punctum conflictationis. Siegtied HERTLEIN (1983) 1, p. 163 solum generaliter scribit conventiones de limitibus exstisset. Thorsten ALTENA (2003), p. 65 indicat inter annos 1906<sup>um</sup> et 1911<sup>um</sup> conventiones regionum distinguendarum fuisse. Horst GRÜNDER (1982), p. 99 scribit anno 1906<sup>o</sup> et anno 1909<sup>o</sup> «contractū praevios» esse exaratos, etiamsi erant veri contractū et insuper eis de diversis partibus regionis disputatae agebatur. Juhani KOPONEN (1995), p. 580 nihil exactum specialeque de hac quaestione dicit, cum nimis breviter nimisque generaliter hanc rem tractet. Harald SIPPEL: Mission und Gewalt. In: Ulrich VAN DER HEYDEN / Jürgen BECHER (edd.) (2000), p. 534 scribit nonnullis conciliandi conaminibus regiminis contractum quandam initum esse; itaque idem solum de *uno* contractū loquitur alias conventiones neglegens neque annum quandam indicat. Gert v. PACZENSKY (1991), p. 381 etiam sine ullo anno indicato commemorat régimen coloniale contractum regionum distinguendarum instigare conatum esse, quod conamen propter episcopum catholicum in irritum cecidisset, altero conamine contractum quidem initum esse, tamen eundem sine effectū fuisse, quia Benedictini eum non respxissent. Hunc in modum idem totam rem modo prorsus falso exhibit. Tantummodo Hans-Joachim NIESEL (1971), p. 343 contractum anni 1909<sup>o</sup> recte indicat scribens die 4<sup>o</sup> m. Iul. a. 1909<sup>o</sup> contractum praevium exaratum esse, qui die 6<sup>o</sup> m. Oct. a. 1909<sup>o</sup> ipso contractū definitivo substituebatur. Tamen idem obliviscitur Thomam Spreiter contractum demum Kal. Nov. a. 1909<sup>o</sup> subscrisisse.



*Linea limitis contractū anni 1909.  
(Linea secundum fontes a me inserta.)  
[Deutscher Kolonialatlas 18, 1914, tab. 7, pars desecta.]*

inierant,<sup>40</sup> constituebatur limitem inter protestanticas stationes Lupembe atque Muhanga et catholicam stationem Kwiro iuxta fluvium Marungwe institui usque ad illum locum, quo hic fluvius cum fluvio Kihanzi confluxit. Ille limes ergo erat satis brevis. Sed expressis verbis magna insula fluvialis ibidem sita<sup>41</sup> Benedictinis attribuebatur. Praeterea inter se convēnērunt, ut de limite in meridiem septentrionemque prolongando consultationes inirentur.

40 Quia contractus solum utrāque subscriptione validus est, idem semper sub utroque die, id est 6.10.1909/1.11.1909 indicandus est.

41 Haec insula appellabatur Kikodja.

Etiam hic contractus decem annos validus erat.<sup>42</sup> Contractus autem ab utrāque parte subscriptus Africae Orientalis gubernatori Albrechto von Rechenberg ad condiciones cognoscendas tradebatur.<sup>43</sup>

Ut in contractū anni 1909<sup>i</sup> iam provisum erat, consultationes de limite ibi constituto prolongando revera satis celeriter iterum susceptae sunt. Fundamentum autem disputationum erat id, quod in primo proposito latiore, quod ad futurum contractum anni 1909<sup>i</sup> spectabat et quod illo tempore ad effectum non adducebatur, exhibitum erat. Tamen consultationes non erant faciles et per plures menses protractae sunt, cum ageretur de unoquoque loco, de possessionibus iam existantibus vel desideratis, de quaestionibus, quo territoria operandi extendi possent vel etiam restringerentur et de similibus rebus. Iam mense Ianuario a. 1910<sup>i</sup> episcopus Thomas Spreiter Berolinensium inspectori missionario Carolo Axenfeld communicavit<sup>44</sup> Patribus in statione Peramiho operantibus limitem iuxta fluvium Pitu non placere, quia ille fluvius partim per regionem prioris principis Shabruma fluueret, quam gens Wangoni inhabitaret et quae a missione catholicā curaretur; praeterea quia hunc in modum pars cuneiformis inter scholas Gumbiro et Kitanda poneretur atque circumiecta stationis Gumbiro tantopere angustarentur, ut eadem abolenda esset; quia similiter duae aliae scholae dissolvendae essent.

---

42 Leguntur vero in contractū anni 1909<sup>i</sup> speciatim haec (ASO, Z.1.07):  
«Grenzvertrag zwischen der Mission des Ordens Sancti Benedicti und der Berliner Missionsgesellschaft.

Der apostolische Vikar von Daressalam, Bischof Thomas Spreiter in Daressalam, als Vertreter der Mission des Ordens Sancti Benedicti einerseits und der Missionsinspektor Lic. th. Karl Axenfeld in Berlin als Vertreter der Berliner Missionsgesellschaft, andererseits einigen sich namens der durch sie vertretenen Körperschaften über eine Grenze zwischen den beiderseitigen Missionen wie folgt:


1. Die Arbeitsgebiete der Benediktinerstation Kwiwo einerseits und der Berliner Stationen Lupembe und Muhanga andererseits werden voneinander getrennt durch eine Grenzlinie, welche von der Vereinigung des Mnjera mit dem Kigana an dem Lauf des Marungwe bis zur Mündung des Kihanzi dergestalt folgt, daß die große Flußinsel an die Benediktiner-Mission fällt.

2. Über eine Fortsetzung dieser Linie im Norden und Süden zur weiteren Abgrenzung der beiderseitigen Gebiete wird Abrede vorbehalten.

3. Dieser Vertrag soll zunächst auf 10 Jahre Gültigkeit haben und gemeinsam dem kaiserlichen Gouvernement zur Kenntnisnahme eingereicht werden.»

43 *Cfr* epistula Caroli Axenfeld et Thomae Spreiter sub diebus 6.10.1909/1.11.1909 ad gubernatorem Albrechtum von Rechenberg missa (ASO, Z.1.07).

44 *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 21 m. Ian. a. 1910 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, Z.1.07).



*Delineatio, qua limitis propositum Thomae Spreiter  
mense Ianuario a. 1910<sup>o</sup> exhibutum continetur.  
[ASO, Z.1.07.]*

Sic condicionem Benedictina debilitatum iri scripsit et Benedictinos hanc regionem illibenter dimissuros esse. Itaque episcopus limitem fore proposuit inde ab influxū fluvii Ruhuhu in lacum Nyassa eum sequens usque ad flu- vium Lukumburu, porro iuxta hunc fluvium usque ad fluvium Msita, quem terminus deinde sequeretur.

Sed propositum Thomae Spreiter non omnino placuit Carolo Axenfeld, qui

quōque argumenta sua - partim similia - protulit.<sup>45</sup> Tamen epistulae suae novum contractum iam exaratum et paulo mutatum subiunxit, quem ipse iam subscripserat et quem exspectavit episcopum quōque subscripturum esse.<sup>46</sup> Thomas Spreiter vero non subscrispit et disputationes continuabantur.<sup>47</sup> Denique in fine mensis Augusti a. 1910<sup>i</sup> Thomas Spreiter consultationes colloquiaque cum Christiano Schumann, qui erat superintendens synodi Bena-Hehe, instituere desideravit, ut «*omnes difficultates adhuc vigentes definitive ordinari*» possent.<sup>48</sup> Rogaverat episcopus etiam, ut Christiano Schumann potestas permissioque officialiter daretur ad consultationes faciendas et ad contractum ineundum.

Revera illa colloquia inter Thomam Spreiter et Christianum Schumann non erant sine effectū. Nam exhibuerunt «*Conventionem de operandi territoriis missionum Sancti Benedicti et Berolinensis Societatis Missionariae*», quae die 6<sup>o</sup> m. Dec. a. 1910<sup>o</sup> data et eodem die ab episcopo Thoma Spreiter et

---

45 Cfr epistula Caroli Axenfeld die 6 m. Maii a. 1910 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.1.07). - In hac epistulā Carolus Axenfeld etiam scripsit Berolinenses in oppido Iringa a Benedictinis iam curato se retinere, «*quamdiu condiciones haec permittunt*». (Sententia originaliter Theodisca). - Etiam hic similis reservatio invenītur ac in eius epistulā die 6 m. Oct. a. 1909 scriptā (ASO, Z.1.07).

46 Cfr textus contractū inter Benedictinos atque «*Berolinensem Scoietatem Missionarium*» ineundi die 6 m. Maii a. 1910 dati (ASO, Z.1.07).

47 Ex. gr. epistulā die 12 m. Iul. a. 1910 ad Carolum Axenfeld directā (ASO, Z.1.07) Thomas Spreiter demonstrare conatur propositis Berolinensium Benedictinos possessionem, quam revera iam haberent, dimittere debere, e contra protestantes tantummodo theoretice aliquid dimissuros esse, quod ad territorium suum operandi pertinere existimavissent. Praeterea exemplis allatis explicit Benedictinos in omnibus conventionibus usque tunc factis semper cessisse et aliquid amisisse, quae exempla inveniuntur in loco Muhanga, in loco Isofi, in conventione anni 1906<sup>i</sup>. Porro variis causis condicionibusque allatis idem illustravit, cur Benedictinisi secundum sententiam suam in contractū recenter iungendo, sicuti proponebatur, iterum essent amittentes. - Tamen episcopus proposita non omnino refutare, sed cum Patribus suis colloqui et condiciones in ipso loco aspicere voluit.

48 Cfr epistula Thomae Spreiter die 29 m. Aug. a. 1910 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, Z.1.07). - Illā in epistulā etiam rogavit, ut protestantes locum Himbo ut locum pastorationis vitarent, quia Benedictini ibidem iam scholam quandam haberent. Quod episcopus hōc petivit, solum eā de causā commemoro, quia in dissensionibus sequentibus de hac quōque re actum est.

49 Textus autem est hic (ASO, Z.1.07):

«Übereinkommen über die Arbeitsgebiete der Missionen St. Benedicti und der Berliner Missionsgesellschaft.

§ 1. Zwischen der Benediktiner Mission, vertreten durch Herrn Bischof + Thomas Spreiter, und der Berliner Missionsgesellschaft, vertreten durch Herrn Superintendent Schumann, werden die gegenseitigen Arbeitsgebiete durch folgende Grenzen nach der Karte des R.Kol.Atlas, Maßstab 1:10000 festgesetzt:

1) Im Süden: von der Mündung des Ruhuhu in den Nyassa-See bildet der Ruhuhu die Grenze bis zur Mündung des Lukumburu in den Ruhuhu, dann bildet der Lukumburu die Grenze bis zur Quelle. Von dieser Quelle führt eine gerade Linie zur Quelle des Meija, eines Nebenflusses des Pitu. Die Grenze läuft dann mit dem Meijafluß bis zu seiner Mündung in den Pitu.

2) Im Südosten und Osten: die Grenze wird gebildet

a) vom Pitu, von dem Zusammenflusse des Meija mit dem Pitu an bis ca. 2 Stunden vor seinem Eintritt in den Luhudje,

b) von einer geraden Linie, die obigen Punkt (ca. 2 Std. vor Mündung des Pitu in den Luhudyi) derart mit dem Furna verbindet, daß ca. 2 Std. oberhalb Imalini die Linie den Furna schneidet.

Die nähere Vereinbarung über eventuelle Ortschaften, die in der Nähe dieser Linie liegen, wird den Stationen Lupembe und Kwiro überlassen.

c) Von einer Linie, welche obigen Schnittpunkt mit dem Furna mit dem Zusammenfluß des Luhudyi-Mejera verbindet;

d) von dem Luhudyi-Kilombero bis zur Mündung des Kihansi in den Kilombero, so daß die Insel Kikodja zur Berliner Mission fällt;

e) von dem Kihansi bis zur Mündung des Berege in den Kihansi und dem Berege bis zur Bezirksgrenze (die Bergabhänge zur Ulanga Ebene);

f) von der Bezirksgrenze bis zum Ruipa Flusse, von diesem Flusse weiter, der oberhalb als Ruaha bezeichnet ist, bis zur Quelle von einer Linie, die die Quelle des Ruipa Ruaha mit der Mündung des Sofia in den Großen Ruaha verbindet, so daß der Sofia, wo er dieser Linie naheliert, als Grenze dient;

g) von der Mündung des Sofia in den großen Ruaha aufwärts bis zum Zusammenfluß des Lukasse mit dem großen Ruaha.

3. Im Norden:

Die Grenze bildet der Lukasse aufwärts bis zur Mündung des Mloa in den Lukasse, eine gerade Linie, die diesen Zusammenfluß mit der Quelle des Ibofere verbindet; dieser Ibofere selbst bis zur Mündung in den Kleinen Ruaha, der Kl. Ruaha aufwärts bis zur Quelle, eine Linie, die diese Quelle mit der Quelle des Mugaga verbindet, eines Nebenflusses des Gaviro Ruahas, der Mugaga bis zur Mündung in den Gaviro Ruaha, der Gaviro Ruaha selbst abwärts bis zum Zusammenflusse des Mpangali, der Mpangali bis zur Mündung des Mwaguse in den Mpangali (Westgrenze des Vikariats Daressalam).

§ 2. Wiedhafen und Iringa gelten als neutral, aber mit der Einschränkung, daß wohl Geschäftsstelle eingerichtet und Diaspora Seelsorge getrieben werden darf, aber nicht eine Missionsstation gegründet werden darf. Einer Schultätigkeit der Benediktiner in Iringa wird keine Schranken gesetzt.



*Linea limitis conventionis anni 1910<sup>i</sup>.  
 (Linea punctata secundum fontes a me inserta.)  
 [Deutscher Kolonialatlas 18, 1914, tab. 7, pars desecta.]*

distincte limites meridionales, occidentali-meridionales atque septentrionales in disputatae regionis parte orientali describuntur omnibus fluviis, fluviolis rivisque nominatis. Sic praeter alia hac conventione insula Kikodja, quae

§3. Der Vertrag gilt für 10 Jahre, falls bis zum Ablauf der 10 Jahre keine der beiden Parteien eine Einwendung erhebt, ist der Vertrag weiter 10 Jahre bindend, und so fort.

§4. Die beiderseitigen Missionen verpflichten sich, ihre eingeborenen Helfer und Lehrer etc. stets zum friedlichen Nebeneinanderabreiten zu erziehen und zu ermahnen.

§5. Dieses Übereinkommen wird in 2 gleichlautenden Exemplaren ausgefertigt.»

secundum contractum anni 1909<sup>i</sup> ad Benedictinos pertinuerat, tunc Berolinensibus adscribebatur. Porro paragrapho secundo agebatur de oppidis Wiedhafen et Iringa, quae generaliter ut neutralia percipienda erant, in quibus nihilominus utriusque missioni procuras instituere atque Christianos suos curare licuit. Hanc quōque conventionem decem annos duraturam esse constitutum est. Insuper - quod est scitū dignum - legitur utramque missionem obligationem inire, quā adiutores magistrosque monet, ut iidem pacifice iuxta operentur.<sup>50</sup>

Videbatur ergo hac conventione res peracta atque dissensiones ad tempus quoddam solatae esse. Sed iam die 9<sup>o</sup> m. Febr. a. 1911<sup>o</sup> inspector missionarius Axenfeld episcopum certiorem fecit difficultates adhuc exstare, cum ex causis formalibus haec conventio sic accipi non posset.<sup>51</sup> Nam potestas superintendentis Christiani Schumann solum pertinuit ad synodus Bena-Hehe et limitibus constitutis etiam tangebatur synodus Konde.<sup>52</sup> Christianum Schumann sibi conscientium non fuisse scripsit Carolus Axenfeld tali conventioni de limite ad fluvium Ruhuhu spectante etiam superintendentem synodi Konde interrogari et eundem officialiter se adiungere debuisse. Tamen est aliquatenus mirum Schumannum talia nescivisse. Cum res ita se haberent, Carolus Axenfeld conventionem inter episcopum atque superintendentem in conventionem inter ipsum Axenfeldium atque Thomam Spreiter commutare voluit. Praeterea paragraphum secundum mutari desideravit.<sup>53</sup>

Sed iam die 16<sup>o</sup> m. Maii a. 1911<sup>o</sup> Carolus Axenfeld denuo ad episcopum se

---

50 Epsicopus Thomas Spreiter postea aliquando scripsit hunc paragraphum se instigante conventioni insertum esse.

51 *Cfr* epistula Caroli Axenfeld die 9 m. Febr. a. 1911 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.1.07).

52 Ut Carolus Axenfeld scripsit, episcopus quidem rogaverat, ut talis potestas generalis Christiano Schumann traderetur, sed epistula Thomae Spreiter nimis sero allata erat, ut hoc votum explere potuisset. - Nihilominus Thomas Spreiter in consultationibus atque in conventione exarandā putaverat, cum nihil aliud audivisset, Christianum Schumann talem potestatem generalem habere.

53 Etiam protestanticus superintendentis missionarius Martinus Klamroth episcopum roga- verat, ne conventionem ad gubernium transferret, antequam sententiae commissionis Berlinensis allatae essent. *Cfr* epistula Martini Klamroth die 23 m. Apr. a. 1911 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07). - Eadem episcopus responderat se iam inter consultationes in statione Lupembe habitas dixisse se non omni modo contractum ad régimen transferre velle, quia idem ad gubernium non pertineret. *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 23 m. Apr. a. 1911 ad Martinum Klamroth data (ASO, Z.1.07).

convertit atque iteravit Christiano Schumann legitime non licuisse contractum tam amplum etiam aliam synodus tangentem iungere. Interea - ut dixit - insuper dubitationes ex synodo Konde ad ipsum allatae erant, in quas primo incubere voluit. Et Thomam Spreiter rogavit, ut totam rem nondum definitive constitutam existimaret.<sup>54</sup> Ipse Thomas Spreiter hanc dilationem non aegre tulit, e contrario éadem satis opportuna esse ei videbatur, cum interea nonnulla puncta disputanda ab Patribus quōque ei prolatā essent, ut Carolo Axenfeld respondit.<sup>55</sup> Hunc in modum ille contractus nondum ratus habebatur atque tota res quadamtenus in aere haerebat.

SIGRIDES ALBERT

(*Hoc capitulum continuabitur.*)

---

54 Cfr epistula Caroli Axenfeld die 16 m. Maii a. 1911 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07). - In eādem epistulā etiam rogavit, ut interim limites constituti tenerentur.

55 Cfr epistula Thomae Spreiter die 19 m. Maii a. 1911 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, Z.1.07).